



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio III. De causa peccati, ex parte voluntatis quæ appellatur malitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

Ad tertiam Resp. tunc semper augeri peccatum, quando sic augetur voluntarium ut libertas non diminuat: passio, ut dixi, auget quidem voluntarium, sed minuit liberum. Verum est quod bonum opus eo magis est meritorium, quod est magis voluntarium, quia est etiam magis liberum.

SECTIO III.

De causa Peccati, ex parte voluntatis, quæ appellatur malitia.

Sanct. Thomas. quæst. 78.

Quid sit
peccare ex
malitia.

Nillum est peccatum, quod malitia quædam non sit, & quod ex aliqua non oriatur malitia, sed specialiter peccare homo dicitur ex malitia, quoties omnino scienter & sine vlla passione peccat. Queritur autem utrum aliquoties voluntas ex huiusmodi malitia peccet: deinde utrum peccatum ex habitu sit peccatum ex malitia, & demum quam graue illud peccatum sit.

Ratio
prima du-
bitandi.

Ratio dubitandi est primò, quia ubi est ignorantia & passio, ibi non est peccatum ex malitia, quia dicitur peccatum ex malitia illud quod patratur sine ignorantia & passione, sed nullum est peccatum ubi non sit aliqua ignorantia; errant enim omnes qui operantur iniquitatem ut habetur *cap. 14. Proverb. & notum est illud Philosophi l. 3. Ethic. c. 1. quod omnis malus est ignorans*. Deinde in omni peccato, appetitus est aliquis boni sensibilis, ergo est passio aliqua.

Secunda.

Secundò, peccare ex malitia est peccare ex electione mali ut sic, quia malum non est amabile ut sic, ergo nemo peccat ex malitia.

Tertia.

Tertiò, non omne peccatum quod fit ex habitu, est peccatum ex malitia, si peccatum ex habitu fiat sæpe cum ignorantia & passione, frequenter autem cum habitu reperiri possunt ignorantia & passio, ergo peccatum ex habitu sæpe non est peccatum ex malitia. Imò non apparet ratio cur passio minuat peccatum, habitus autem illud augeat, eosdem enim effectus habet habitus, quos habet passio, ergo tam habitus minuit peccatum quam passio.

Prima
conclusio.

Dico primò, certum omnino est, plura dari peccata quæ fiunt ex pura malitia, quoties voluntas sine vlla ignorantia in intellectu, & passione in appetitu se ipsam determinat ad peccandum ex inclinatione sua vel naturali, vel acquisita.

Probat
ex S. Tho-
ma.

Rationem affert S. Thomas art. 1. quia cum homo appetitum habeat naturaliter ad bonum, declinare ad malum non potest nisi ex aliqua inordinatione, & corruptione principiorum hominis quæ sunt intellectus, appetitus irrationalis, & appetitus rationalis, si cut inordinatus esse potest intellectus & committitur peccatum ex ignorantia, inordinatio appetitus animalis peccatum causat ex passione, sic corrupta & inordinata esse potest voluntas, quia bonum minus præferre potest maiori bono, bonum videlicet temporale præfert bono spirituali, cum enim sit libera, potest etiam si non adsit ignorantia, & passio determinare se ipsam ad eligendum minus illud bonum, & hoc est quod vocatur peccatum ex malitia, cum aliquis omnino scienter eligit malum, *qui quasi de industria recesserunt ab eo* (inquit Iob. c. 34.) & *vias eius intelligere noluerunt*, quam appellat Clemens Romanus voluntariam mentis malitiam.

Secunda
conclusio.

Dico secundò, cum aliquis ex habitu & ex praua consuetudine non retractata peccat ex malitia, ita S. Thomas art. 2. & 3.

Probat.

Ratio est, quia peccatum ex habitu dicitur illud ad quod aliquis se determinat ex inclinatione voluntariè acquisita, sine ignorantia vel passione; si enim

altera earum adsit, peccatur quidem cum habitu, non ex habitu, quia id quod inclinat non est habitus, sed omne peccatum ad quod voluntas se determinat ex inclinatione sua naturali vel acquisita, est peccatum ex malitia, ergo peccatum omne quod fit ex habitu est peccatum ex malitia.

Dico tertiò, peccatum ex malitia cæteris paribus, longè grauius est quàm peccatum ex passione vel ex ignorantia, ita S. Thomas art. 4.

Tertia
conclusio.

Ratio eius, quia maius ibi est peccatum, ubi maior est cognitio, maior libertas, & maior contemptus Dei cum maiori affectu ad malum. In peccato malitiæ quatuor illa reperiuntur: vnde primò in Scripturis grauius huiusmodi peccatum punitur Iob. 34. *quasi impios percussit eos in loco videntium qui quasi de industria recesserunt ab eo*. Secundò dicitur esse in-expiabile ut expendunt eximie Gregorius Magnus l. 2. *Moralium cap. 11. Basilius orat. 3. de peccatis. Ilidorus l. 2. de summo bono cap. 17. Ieremie 4. Ne succendatur indignatio mea super vos, & non sit qui extinguat, propter malitiam studiorum vestrorum*, quod explicat de peccato ex malitia idem Gregorius l. *pastoralis admonit. 33. peccatum enim, præsertim ex habitu adiunctam habet continuationem, vnde homines ex habitu peccantes ad Philosopho 7. Ethic. cap. 8. comparantur hydropicis aut phthisicis*, ij autem qui ex passione peccant comparantur iis qui morbo laborant intermittente, quia consuetudo superari vix potest, ut optimè disserit August. lib. contra fortunat. c. 2. Tertiò, illi peccato iungitur perulantia, contemptus, cor durum, impudens, impænitens, *frons meretricis facta est tibi, nesciisti erubescere: tu autem secundum duritiam tuam, & impænitens cor, thesaurizas tibi iram in die ire*. Quo etiam applicat Augustinus illud Psalmi: *Cinerem tanquam panem manducabam: Latantur videlicet huiusmodi homines cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*. Quartò illud est verè peccatum contra Spiritum Sanctum qui fons est Sanctitatis illuminans intellectum, & voluntatem inclinans ad bonum.

Responde-
tur ad pri-
mam ra-
tionem
dubitandi.

Ad primam Resp. peccatum specialiter dici ex ignorantia, in qua culpabiliter ignoratur malum esse id quod fit, hæc ignorantia non reperitur in peccato quod fit ex malitia, sed ignorantia tantum seu actualis inconsideratio motiuorum, quæ si actu cogitarentur hominem retraherent à peccato, eo enim modo ignorans omnis qui peccat. Nego etiam in omni peccato esse actum illum appetitus, qui vocatur passio ex eo quod immutationem in ipso etiam corpore causat.

Ad secundam.

Ad secundam Resp. neminem peccare vnquam ex electione mali ut sic, sed peccare sæpe multos ex electione mali sub ratione aliqua boni, quod quoties facit voluntas peccat ex malitia, si neque ignorantiam, neque passionem habeat.

Ad tertiam.

Ad tertiam dixi peccatum illud quod fit ab habente habitum, non esse peccatum ex habitu si adsit ignorantia vel passio, tunc enim habitus non est id quod determinat vnde illud non est peccatum ex malitia. Passio minuit peccatum, quia voluntaria non est, habitus autem voluntariè acquisitus est, idè auget potius peccatum quàm passio.

QVÆSTIO II.

De causis externis peccatorum.

S. Thom. q. 79. & seq.

Praeter causas internas, quæ mouent ad peccatum, & sunt intra ipsum peccantem, extra ipsum aliquid etiam est per quod impelli possit ad malum. Hoc autem videndum est primò, utrum esse possit Deus